

quam cum altero communicare fas sit, intelligat, aut vero si vocabula in eodem rerum statu omni carere significacione adseramus; si quidem genus humanum, quod verbis vim tribuit ac potestatem, id ipsum tunc voluisse censeatur. Prioris enim opinionis autores doctrinam reseruationum recoquunt; qui vero posteriorem sunt amplexi, animaduertere debuissent, malitiam non in physico verborum sono, sed in voluntate fallendi reperiri.

CCCCXV. Reseruationes *externas*, seu, vt vocant, non *pure mentales* quod attinet, quas scilicet ex natura negotii, vel aliis signis sensibilibus acutus auditor deprehendere potest, facile admittunt omnes, ad eas tunc perfugere licere, quoties quis veritatem nude patescere non obligatur, sed potius eius obtegenda iusta subest causa: ersi enim, aiunt, loquens verum sensum ab audience non perceptum iri confidat, is tamen non alterius intendit deceptionem, sed occultationem veritatis, ipsius autem errorem solummodo permittit. Quoniam vero huiusmodi reseruationes re ipsa sunt sermones ambigui seu amphiboliae: quaenam harum sit moralitas, iam supra fuit ostensum.

CAPVT XIII.

*De dominio, eiusque adquirendi modo sim-
pliciter originario, sive occupatione.*

CCCCXVI. Egimus hactenus de officiis erga alios absolutis: nunc sequuntur hypothetica, quae cum a na-
tura, tum simul ab aliquo hominum instituto atque
eorum factis derivantur. Ac primo quidem sese offe-
runt specialia rerum iura; quod enim supra cuique
adseruimus ius ad res necessarias indeterminatum, nec
ulli certae rei adhaerens, illud, quoniam ex sola fluit
hominis natura, et in omnibus aequaliter reperitur,
ad iura connata et vniuersalia spectat.

CCCCXVII.

CCCCXVII. Quoniam naturaliter omnes homines
habent aequale ius, nemo eatenus gaudet iure rerum
proprio; ergo non dantur natura res *singulorum*, sed
omnes sunt vacuae et nullius, sive quod idem est, in
communione negatiua, a qua nemo poterat excludi;
et quae ideo *primeua* nuncupatur. v. *Virgil.* I. *Georg.* v. 126.

CCCCXVIII. Inde fluit I. vt in eo statu omnes qui-
dem haberent ius in omnia, sed sine cuiusquam exclu-
sione, II vt tam res, quae sponte nascebantur, quam
quae industria et labore, ab omnibus vi legis naturalis
ad mutuam felicitatem adhibendo, producerentur, es-
sent quasi in medio posita et nullius propriae; III. vt
cuique daretur ius ad actus necessarios pro iure illo ad
res exercendo, veluti capienda fera, pomo decerpendo,
ponenda habitatione, transiendo per quaevis loca,
modo nemo laederetur. Quo sensu, *vnum cunctis fuisse*
patrimonium, dixit IUSTINUS XLII. I.

CCCCXIX. Rem apprehendere est, illam ita suae
potentiae subiicere, redigere in suas vires physicas, vt
vsi possit seruire cum aliorum exclusione. Quia vsus
rei, quae consumuntur, vni tantum prodesse potest, nec
ab vsu apprehenso quempiam licet excludere sine lae-
sione: is, qui semel rem tenebat, non potuit illa priuari,
sed in pari causa melior fuit eius conditio. Hinc et hoc
ius rerum ad iura perfecta pertinuit. v. *Cic Fin.* III. 20.

CCCCXX. Aucto humano genere sponte nata non
suffecissent omnibus; maior erat necessaria cultura,
nec non assiduus labor ad res industriaes et artificiales
producendas. Sed frigescente amore mutuo et le-
gum naturalium custodia, quum multi otio torpesce-
rent, et tamen viuere vellent, alii diligentiores operam et
laborem suum frustrabant; hinc oportebat, res omnis gene-
ris in futuros vsus apprehendere, asseruare, et animo sibi
tamquam proprias habendi detinere, hoc est, possidere.*

CCCCXXI.

* Haec origo philosophica iuris rerum proprii; historicam
docet *Genesis* l. 29, IX. 2.

CCCCXXI. Apprehensio rei nullius animo sibi habendi ut propriam, dicitur *occupatio*. Sunt ergo requisita occupationis I. ut sit res nullius, II. ut factum accedat, natura enim nulla res externa alicuius propria est; III. ut illud factum sit sufficiens ad rem in nostram potestatem physicam redigendam, sive ut ad sit apprehensio, rei detentio, *possessio corporalis*; IV. ut haec detentio sit cum animo rem sibi propriam habendi, *possessio iuridica*.

CCCCXXII. Frustranea fuisse rei apprehensio et eius possessio, si cuique licuisset possessorem turbare, aut re deicere. Ex facto occupationis igitur orta est tam obligatio negativa aliorum se a re tali abstinendi, quam facultas moralis, seu *ius possessoris de ipsius rei substantia et consecutariis pro arbitrio disponendi*, sive declarandi, quid fieri, vel non fieri velit, dummodo neminem laederet, quod *ius dominium* vocatur. Est itaque dominium *Ius in re*, *Ius reale*, quod *personae competit in re sine respectu ad aliquam personam*. v. L. I. D. de adq. vel am. possess.

CCCCXXIII. Si plures eandem rem occupant simul, omnibus competit aequale ius, et reliquos possunt excludere; itaque habent *condominium*, quod alias dicunt *communio positiva*. Ast si ex illis pluribus nemo habeat partem iuris proprii, sed res sit vniuersitatis, ut in monasteriis, adest *communia mixta*.

CCCCXXIV. Id, quod est medium sufficiens adquisitionis, modus dicitur, estque alius *originarius*, si res nullius est, alius *deriuatius*, si res iam sit alienius propria. Ratio autem, ex qua intelligitur iustitia adquirendi, est *titulus*. Igitur ab initio titulus seu causa remota domini fuit *ius connatum occupandi*, modus autem seu causa proxima fuit ipse actus occupationis, quae porro sola est modus adquirendi dominium *originarius simpliciter talis*.

CCCCXXV. Ex dictis sequentes deducuntur con-

G

clu-

clusiones: I. vt qui *poteſt* tam physice, quam morali-
ter, et *vult*, is rem adquirat, II. vt tamen prior tem-
pore sit potior iure, III. vt res a nobis occupata, et
dominium sint in $\tau\omega$) *nōſtro*; quae vero occupantur ab
aliis, sint in $\tau\omega$) *alterius*, et sine laeſione auferri ne-
queant, IV. vt dominium non sit ius connatum, sed
adquisitum. V. vt introducto dominio cessauerit pars
status originarii, diuersa accesserint iura, et aliqua in-
valuerit inaequalitas.

CCCCXXVI. Sunt, qui hancce dominii originem
redarguant. Primo enim aiunt, res, ad quas omnes
homines ius connatum habent, unanimi tantum eorum
voluntate occupari potuisse. Tum putant multis hoc
modo nimiam rerum copiam obtigisse, quibus porro
alii cogantur non sine iniuria carere. Respondent
Grotius*, ac Pufendorfius**, res communio olim vo-
luntate fuisse diuinas, datamque simul cuique faculta-
tem, quod reliquum erat, exinde occupandi, adeoque
modum acquirendi antiquissimum et originarium etiam
diuisionem faciunt.

CCCCXXVII. Enimvero haud opus est hisce am-
bagibus: Communio enim rerum primaeva positiva
non fuit, sed negativa, in qua omnia erant nullius,
et quasi in medio posita; itaque ius rerum connatum
ius tantum erat apprehendi res vacuas, non vero ius
impediendi, ne eas alii, si vellent, et possent, occu-
parent. Quare cum nemini fieret iniuria per huius-
modi occupationem, necesse etiam non erat aliorum
declarationem expectare. Ceterum, quanta cuiusque
effet indigentia, id eius arbitrio erat relinquendum,
si modo res necessariae singulis supereffent. v. Gen.
I. 29.

CCCCXXVIII. Res eae possunt occupari, quae I.
sunt nullius, vel a domino derelictae, quas scilicet non
vult amplius in $\tau\omega$ suo habere, II. quae vſibus no-
stris

* L. II. C. II. §. 1. n. 5.

** I. N. et G. L. IV. C. IV. §. 4.

stris inseruire possunt, III. quae sunt exhausti usus et apprehensionis atque custodiae capaces, sive sint inanimatae, tam mobiles, quam immobiles, sive animatae, veluti pisces, volucres. Quam enim nulla nobis sit cum brutis iuris communio, dubium non est, quia ea et occidi, et in cibum conuerti tuto possint.

CCCCXXIX. Hoc modo occupantur I. res animatae venatione, pescatione, aucupio, si modo retibus, vel aliis instrumentis, aut etiam loco circumspecto ita detinentur, ut aufugere nequeant II. Res inanimatae a) mobiles inuentione, veluti gemmae, lapilli in litore maris, thesaurus in loco nullius detectus; b) immobiles, quum quis fundum ingreditur, terminos ponit, aut sepem, vel parat ad meliorem usum industria et labore, etiam si singulas glebas non circumambulet. v. L. 3. §. 1. de adq. vel om. pos.

CCCCXXX. Contra materiam occupationis haud constituant res, quae non sunt nullius, veluti homines, et quae in eo sunt statu, ut quis occuparit ius eas occupandi; quales sunt pisces in parte flumii occupata, thesaurus in alieno fundo: quae res iacentes vocantur, neque sunt simpliciter nullius.

CCCCXXXI. Nec occupantur res nunquam dederitiae: vti bona naufragorum; res amissae veluti eredita cadentes, vel fugitiuae, si cognoscipossint; nec res inexhausti usus, et quae non possunt custodiri vel apprehendi, vt sol, mare, aer; cessant enim hisce in rebus tam possessio, quam reliquae dominii cause, et hinc in communione primaeua permanferunt. Virgil.
Aen. VII. v. 229.